

*Capitolinis Fastis, Coss. fuerunt Romæ, C. Vipsanius & Fontejus Capito, Anno Urb. Con. 811. Mundi 4023, Chr. L X I. Hic autem proximus à prælio Hermundurorum Cattorumq; memorabilisq; fuit, Solis, pridie Kalendas Majas, defectu, teste Plinio, Hist. Nat. l. 2. c. 70. Manifestus locus illà de re Taciti Annal. 13, circa fin. & init. lib. 14. Antecedentem nempe annum proximum obsignat prælio hoc, atqve arefcente Ruminali arbore, quæ supra octingentos & quadraginta annos dicitur stetisse; cap. 57. & 58. Eadem inqviens, æstate inter Hermunduros Cattosq; certatum, magno prælio. Seqventem librum pariter annumqve ita auspiciatur: C. Vipsanio, Fontejo Coss. diu meditatums scelus non ultra Nero distulit, coalitâ audaciâ & flagrantior indies amore Poppeæ. Anno isto sexagesimo Pro-Consul Syria, Corbulo, Armeniæ Regem, Tyridatem fugat, Regniqve caput Artaxata ignibus comburit & adæquat solo. Tacitus de his prolixè libro XIII. à cap. 40. Idem antea: Nerone tertium Consule simul inijt Consulatum Valerius Messala. c. 34. Sexagesimus à nato Servatore annus hic. Mox subdit capite eodem: Ejus anni principio prolatum inter Parthos Romanosq; de Armenia obtinenda bellum &c. Cap. 50. Eodem anno crebris populi flagitationibus, immodestiam publicanorum arguentis dubitavit Nero &c. Ad eundem annum respicit cap. 57. n. 1. Eadem æstate certatum. Sed & digna observatu verba sunt c. 53. n. 2. Ille (Paullinus) inchoatum ante tres & sexaginta annos à Druso aggerem, coërcendo Rheno, absoluit. Fossa verò Drusiana ducta est à Druso, Coss. Martio Censorino, Cajoq; Asinio Gallo, ante Chr. natum integro triennio. De tempore sic constat.*

§. V. Nunc de loco finis etiam solliciti: *Ubinam gentium pugnatū de Salinis fuerit?* Potissima Scriptorum pars